UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 229. Vnius Episcopi approbatio non sufficit ad hoc ut Sacerdos, etiam Regularis, sæcularium confessiones ubique audire possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73212

Visual Library

gularium, quibus ipſis (injuſtè ab Epiſcopo recuſatis) per Clementinam *dudum* de privilegiis, aliaſque SS. Pontificum Conſtitutiones, conceſſum erat ſæcularium confeſſiones audire: utpote præſenti Decreto Concilii Tridentini abrogata.

2708 Sequitur 2°. etiam Lectores & Graduatos in Theologia huic legi Tridentini ſubjectos eſſe, uti 6. Auguſti 1571. declaravit Pius V. Conſtitutione, quæ incipit, *Romani Pontificis.*

2709 Sequitur 3°. Epiſcopi approbationem non requiri ad audiendas confeſſiones Regularium, Cùm Tridentinum eam ſolùm requirat ad audiendas *confeſſiones ſæcularium.*

2710 Sequitur 4°. Epiſcopi approbationem non requiri in habentibus Parochiale Beneficium: utpote qui à Tridentino excipiuntur. Ipſi tamen per ſuam inſtitutionem in Parochos, ſolùm accipiunt ordinariam juriſdictionem audiendi confeſſiones in Parochia ſua; non in tota Diœceſi. Nec cenſentur pro tota Diœceſi approbati, niſi quatenùs idonei cenſentur, ad audiendas in tota Diœceſi ſæcularium confeſſiones, accedente Parochorum conſenſu (quo conſenſu, ſecundùm declarationem SS. Pontificum non indigent Regulares privilegiati) per conſenſum namque Parochorum delegatam accipiunt juriſdictionem audiendi confeſſiones in Parochiis ipſorum, ubi ſic habet conſuetudo per Epiſcopum approbata; prout ſic habet in Belgio. Aliàs quippe Parochiale Beneficium nullam ipſis, niſi in Parochianos ſuos, tribuit juriſdictionem.

2711 Et quia ceſſante titulo juriſdictionis, ceſſat juriſdictio, ſtatim atque Parochus deſinit eſſe Parochus, juriſdictionem ad audiendas confeſſiones habere deſinit, niſi fortè prius ad eas audiendas approbatus fuiſſet independenter à Beneficio Parochiali. Ita cum communi Barboſa in Trid. ſeſſ. 23. c. 15. n. 21. & p. 2. de offic. & poteſt Epiſc. allegat. 25. §. 16. ad id referens declarationem S. Congregationis Concilii Tridentini.

CAPUT CCXXIX.

Unius Epiſcopi approbatio non ſufficit ad hoc ut Sacerdos, etiam Regularis, ſæcularium confeſſiones ubique audire poſſit.

2712 ASſertio certa eſt 1°. quia, cùm Innocentius X. ad inſtantiam Epiſcopi Angelopolitani, per S. Congregationem Cardinalium, ad id ſpecialiter deputatorum, in judicio contradictorio anno 1643. examinari juſſiſſet varias quæſtiones, quas inter nona erat: *utrùm Regularis quicumque, etiam Societatis Jeſu, poſſit adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ ſæcularibus, ſine licentia Epiſcopi Diœceſani, ſi in alia Diœceſi approbatus ſit.* Congregatio reſpondit: *Regulares, etiam Societatis Jeſu, in ſua Diœceſi ab Epiſcopo approbatos; ad confeſſiones ſæcularium audiendas, nequaquam poſſe, in alia Diœceſi, hujuſmodi confeſſiones audire.* Quam reſolutionem Innocentius X. per Decretum, quod incipit, *cùm ſicut*, authoritate Apoſtolicâ confirmavit, obſervarique præcepit ab omnibus Regularibus, etiam Societatis Jeſu, non obſtantibus privilegiis, ſub quacumque forma & tenore conceſſis.

2713 2°. S. Congregatio Cardinalium, anno 1659. ab Alexandro VII. ſpecialiter deputata, hanc propoſitionem: *Regulares Ordinum Mendicantium, ſemel approbati ab uno Epiſcopo, ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, nec novâ indigent Epiſcoporum approbatione:* declaravit *falſam, & ſaluti animarum perniciosam.* Eamque declarationem Alexander VII. per Breve ad Epiſcopum Andegavenſem, authoritate Apoſtolicâ confirmavit; atque à cunctis tenendam, & in praxi obſervandam, ſub gravibus pœnis mandavit, non obſtantibus quibuſcumque contrariis.

3°. Clemens X. in Conſtitutione *ſuperni magni Patris-familias* anno 1670. cum expreſſa de- 2714
rogatione omnium privilegiorum, & conſuetudinum in contrarium, declaravit, *Religioſos, ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas approbatos, non poſſe, in alia Diœceſi, eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.* In quo poſtremo Religioſi approbati differunt à Parochis, qui Parochianorum ſuorum confeſſiones in aliena Parochia & Diœceſi audire poſſunt; eò quòd ordinariam in illos authoritatem habeant, quam ubique exercere poſſunt, quoad ea quæ fiunt abſque ſtrepitu judicii.

4°. Congregatio Concilii, ante noviſſimas iſtas 2715
declarationes, die 6. Junii 1608. declaraverat, *tam Sæculares, quàm Regulares, in una Diœceſi approbatos ad audiendas perſonarum ſæcularium confeſſiones, non poſſe in alia eaſdem confeſſiones audire, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione*, ut videre eſt apud Barboſam p. 2. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. §. 32.

5°. idipſum adhuc diù ante declaratum erat 2716
in Clementina *dudum* de ſepulturis, quoad hoc nunquam revocata, ſed (ut vidimus) à Sede Apoſtolica ſæpiùs confirmata, & innovata. Ibi enim ſic habetur: *Provinciales... Ordinum Prædicatorum eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vitâ probatas, diſcretas, modeſtas, atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum. Quas ſic ab ipſis electas repræſentent... Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito, in... Diœceſibus eorumdem, hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant... extra Civitates & Diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, confeſſiones nullatenùs audituræ.*

CAPUT CCXXX.

Ad audiendas ſæcularium confeſſiones, non ſufficit approbatio obtenta ab Epiſcopo pœnitentis; ſed neceſſaria eſt approbatio obtenta ab Epiſcopo loci, ubi audienda eſt confeſſio.

SIc pro certo ſentio cum ſapientiſſimo Patre 2717
noſtro Lezana to. 1. qq. regular. c. 19. n. 19. contra Mgiſtrum meum Bonæ-Spei de pœnit. diſp. 11. n. 25. Et ſic pro certo ſentire debent omnes, poſtquam Clemens X. ſic expreſſè declaravit in citata Conſtitut. *ſuperni*, prout n. 2714. vidimus.

CAPUT CCXXXI.

Ad audiendas ſæcularium confeſſiones, neceſſaria eſt approbatio obtenta: non ſufficit petita, & injuſtè negata.

SIc etiam pro certo ſentire debent omnes. Tum 2718
quia Tridentinum expreſſè dicit, *approbationem obtineat.* Tum quia Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem 13. inter 45. *ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.*

CAPUT CCXXXII.

Regularis approbatus ad tempus limitatum, eo elapſo, confeſſiones ſine nova approbatione audire nequit, ſive juſtè, ſive injuſtè fuerit limitatus.

APertè ſequitur ex dictis capite præcedenti. E- 2719
lapſo quippe tempore, ad quod limitatus fuit, deſtitutus